Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2087
Quelle:
Copyright:

Dominica Gaudete, quae est III. Adventus, unde Nota ad *Decembrem* potius pertinet. In alia Nota ad *Februarium* recensentur *Attinentia ad beneficium S. Margarete*, sive satis curta Supellex vasorum et vestimenti sacerdotalis; item agri, prata et vineae illuc pertinentes, quo loco nominantur Pagi *Enzesfeld* et *Lintaprum* cum Oppido *Sachenau* (Salchenau, Saalenau) inter *Viennam* et *Neostadium* siti. Denique ad *Octobrem* dicitur peragi *Anniuersarium domine Anne Roesenwergerin singulis annis in Nouaciuitate in Ecclesia beate virginis* (postea cathedrali) *proxima dominica post diem Omnium animarum per dominos Lewtuincos* vel *Lewtiuncos*; ita enim dubie scriptum est. Quod, quid sibi velit, discere cuperem. Ceterum nihil peculiare habet Missale.

DCCCLI.

R. 3266 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 243. f. per duas columnas charactere crasso, luculento, atro perscriptus, rubricisque distinctus, est *Missale*, quod e *Calendario* praevio, in quo *Bruno* et *Hugo Lincoln.* Ep. miniati comparent, ad Carthusiam aliquam referendum videtur, eamque in ditione *Bohemica*, vel Provinciis conterminis sitam, nam ad calcem *Margareta*, *Elizabeth*, *Wenceslaus*, *Adalbertus*, *Procopius*, *Ludmilla*, *Vitus*, Fratres Martyres *Cristinus*, *Benedictus*, *Mathaeus*, *Johannes* et *Isaac* propriis Officiis celebrantur. Juvat item observare *Silam*, qui in *Martyrologio Baronii 13. Julii* colitur, in *Calendario* nostro 28. *Novembr.* cum adposito *Apostoli* memorari. *Fol.* ult. habetur Ritus *suscipiendi nouitium monachum ad professionem*, in quo tamen non exprimitur religiosae Familiae nomen. Tabulae posticae adscriptae sunt Literae *Rudolphi de Rudesheim* prius Ep. *Lavantini*, nunc *Wratislaviensis* et per *Poloniam* ac *Bohemiam* Sedis Apostolicae Legati ad omnem Clerum Dioec. *Olomucensis* datae *Wratislavie Die XXVII. Mensis. Octobris Anno domini* 1474. quibus injungit Preces contra Belli calamitates *singulis diebus ante inceptionem Introitus Summe misse* publice persolvendas additis 40. dierum Indulgentiis etiam pro Laicis, qui earum loco 20. *Pater noster et totidem Aue Maria* recitaverint. Precum porro Formula integra subjuncta legitur. Sedem *Olomucensem* ea tempestate inter *Bohuslaum Hassensteinium de Lobkowicz*, et unum, alterumque *Italum* nutasse, notum est ex historia.

DCCCLII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2217
XV. Folior. 239. f. maj. optime scriptus et servatus, coloribusque et luculenta ad Canonem *Christi* dextro latere vulnerati et tribus clavis adfixi Imagine conspicuus est *Missale* in usum Dioeceseos *Salisburgensis*, ut e *Calendario* praevio eruitur, in quo *Rudberti* et *Virgilii* Epp. Festa et Translationes minio consignantur. *Fol.* 225.